2160

Princeps, clementia non solùm nostris, sed penè omnium Protestantium populorum
oris atq linguis, neq ulla unquam ætas de Tuis conticescet laudibus: quæ, nescio quo-
modo, etiam dum audiuntur, aut dum leguntur, obstrepi clamore ~~militum~~ omnium
videntur et tibiarum sonô. At, cum nos aliquid clementer, mansuetè, justè, moderatè,
sapienter factum esse, in tantâ victoriâ, quæ naturâ insolens est et superba, aut au-
dimus aut legimus; quo studio, proh Deum atq hominum fidem non modò in rebus verè
gestis, sed etiam in fictis incendimur: ut eos sæpè, quos nunquam vidimus, diligamus.
Quid? Te, serenissime Princeps, quem intuemur præsentem; cujus mentem tam benevo-
lam sensusq et os cernimus: ut quicquid Regiæ tyrannidis fortunæ reliquum Pabia
fuerit, id esse salvum hodie velis. Quibus proinde laudibus Te efferemus? Quibus studiis Te
prosequemur? Quâ benevolentiâ complectemur? Moenia certè, ut mihi videntur,
urbis hujus Tibi gratias agere gestiunt: quod brevi tempore futurum sit: ut intra
ea sua Majorum autoritas ac felicitas restauretur. Equidem, cum tot Protestan-
tium, quotquot meliora optarunt Angliæ fata, lacrymas videremus, pristinæ li-
bertatis ac Religionis nostrum pectus effodit memoria: quam Tu, Domine, nunc
victricibus Tuis armis reddidisti, eandemq ab oblivione penè vindicasti.
Venit igitur dies hic: quem anxiè dudum expectavimus, sed ἀνὰ συγχαρῆς tandem nobis
reddidit DEUS: ut maximis et innumerabilibus gratulationibus exciperetur. Est et hæc
victoria Tui propria: coeteræ v. Duce Te gestæ magnæ quidem sunt, sed tamen multò
magnoq comitatu exornatæ. Atq hujus ipsius rei quum Tu idem Dux sis ac Actor,
tanta est: ut nulla eidem æquè ac tropæis, monumentisq tuis, allatura sit
ætas. Novimus nos siquidem omnes, nihil opere aut manu factum esse, quod
aliquando non conficiat aut consumat vetustas. At singularis Tua benevolentia
animiq lenitas florescet quotidiè magis: ita ut, quantum operibus tuis diuturni-
tas detrahet, tantum allatura sit laudibus. Nam, quum coeteros omnes bellorum
victores jam antè pietate et misericordiâ viceris, hodiernô die Te ipsum vicisti.
Vereor equidem, ne hoc, quod dicam, non perindè intelligi auditu possit, atq
ego ipse cogitans sentio. Ipsam siquidem victoriam vicisse videris: dum Liber-
tatem nostram, nos quoq ac concives, pertinaces non paucos inq præcipitia sua
ruentes, nobis reddidisti. Certè enim, cum ipsius victoriæ conditione omnes
illi victi jure tuciderentur, clementia Tua judicio hi et ipsi conservati sunt.
Rectè igitur unus es invictus, invictissime Heros, à quo m. ipsius victoriæ condi-
tio viq devicta est. Atq hæc Tua, serenissime Princeps victoria quàm latè pate-
at, nullô verborum mangoniô exprimi potest. Nos quippe omnes, nos singulos,
qui ad arma tecum sumus fatô, nescio quô miserô funestôq Regni nostri compulsi,
ab extremô certè liberasti interitu. Nempè, cum precantibus nobis ope ac con-
siliô succurristi, Regnum nostrum in pristinum restituere meministi statum: quô
exoptatissimô hoc tempore, benevolentiâ Tuâ freti, viveremus. Induxisti ubiq
quidem in Angliam Hollandorum copias, nos non deleturas, sed conservaturas, le-
gesq nostras non abolituras, sed recuperaturas: præprimis ubi paulò antè Europæ
orbi indicasti, bellum hoc non crudelitate aut regnandi cupiditate, sed potius j.ro
legitimô successionis jure, proq liberis Regni, quæ Parlamentum singulari vo-
rum numero, comitiis esse susceptum. Proh enim immortalem Deum, quoties
hæc graviter doluimus, non modò libera Regni comitia, sed orationem etiam
eorum, qui pacem ac libertatem pristinam efflagitabant, repudiari. Neq
illas vel propterea dedimus turbas, neq et ulla unquam arma arripuimus
civilia, sed consilia nostra semper pacis et togæ, non belli atq armorum socia fuerunt.